


Z b
6473



6

HEROICUM
IN FUNERE
DOMINI
JOHANNIS CHRISTO-
PHORI HEROLDI,
JCII ET CONSILIARII FAMIGE-
RATISSIMI
ELOGIUM,
DECANTATUM
A
GYMNASIO HALLENSI.

HALAE,
LITERIS Salfeldianis.



H

Eroico Präconi

Funebre parandum præconium.
Huic non præfica præficienda Romana,
Sed Romana Fama,
Tot linguis, quot pennis; nobilis;
Quæ dum clamat,
Illorum amat post fata referre facta,
Qui viventes ita usurparunt vitam,
Ut morientes illam non amiserint.

Natura Autor

Cum elocasset HEROLDO magna Naturæ munera,
Hic in eo omnem locavit operam,
Vt ea aliquando sceneriori suo
In funere redderet cum fœnore,
Nulla hinc ætas ejus absque negotio,
Dum otium ipsi est odium,
Juvenis ergo
Indolis aurum ita permutavit scientiis,
Vt retineret pretio auctum,
Quod pro illis pretium dederat,
Mirus rerum in permutando
Venditor simul & emtor,
Hinc divite ingenii gaza auctus,
Jam Vir
Non exterorum devotus Votis,
Sed patriæ vivere voluit,
Eique servire, ut servaret eam.
In illius foro dum judex sententias fatur,
Justitia in illo visa est fari,
Cui diu cœcæ ipse aperuit oculos,
Fibris oculorum libris crudis discussis,

In Curiâ dum fasces Consul administrat,
Nullus de in curiâ in Republ. fuit conquestus.
Principum Consiliarius cum consulit in Statuum
Consilio,
Semper ut princeps in consulendo laudatus est.
Sic Justitia civibus,
Sapientia & prudentia Conciliis,
Præfuit simul & profuit.
Verum & Ecclesiæ pietate adfuit,
* Vitricus illius,
Non ingenio inusta novercæ,
Sed inde optimi & fidi Patris,
Qui verò Ecclesiæ adfuit,
Non potuit deesse Scholæ;
Cui non solum Consilio, sed auxilio quoque fuit
Præsentissimus,
Liberalissimo donato Gymnasio Hallensi stipendio
Ut post primum OELHAFIUM,
HEROLDUS nunc sit secundus,
Verè secundus Gymnasii alumnus per adversa eversus.
Sic igitur vixit DEO,
Sic & vixit Proximo;
Vt nec temere quicquam fecerit, nec timide,
Sed sibi quoque ut viveret,
Arque in scipio suas experiretur virtutes,
Crebram fortuna præbuit occasionem.
Nam de Fortunâ illius quærenti, respondendum:
Humana fuit,
Et felix, & fallax,
Et orbe in utramque partem volubili dubia,
Uti temper attigua est infelicitati felicitas,
Proféra illa fuit,
Magnis honoribus,
Conjugio incomparabili,
Animorum concordia,
Annorum multitudine,
Prole elegantissimâ.
Alpera illa fuit
Modis & multis, & variis,
Imprimis tristissimo ædium & bonorum incendio,
Et liberorum, propera morte a mundo liberorum, funeribus,
At, ut felicia & prospera
Animum humilem & humanum
In fastum & superbiam attollere non potuerunt;

Sic

* V. famigerissimi Schurzsteibii Dissert. de Vitricis Ecclesiæ.

Sic infelia & aspera
Animo patientia fortissimo
Fortitudinis constantiam non potuerunt extorquere.
Sic cum immoderata fer felicitatem
Ferret moderate;
Et Fortunæ intolerabilia
Fortissimè toleraret,
Ut nec flechteretur secundis,
Nec frangeretur adversis,
Tandem factum,
Ut de utrâque fortunâ triumphans
Mundo egressus fuerit.
Corpus humili tumulo concluſum,
Fama concludi nefcia per mundum avolavit;
Anima digna cœlo,
Recepta cœlo,
Non obiit, sed abiit,
Separatorum exspectans Unionem.
Quem proinde Mundus dimisit senem;
Illum receptum Cœlum mittet in juventutem,
Nunquam senectute corruptendam.
Beata enim æternitas
Et finem nescit, nec scit corruptionem,
Est enim ipsa
Et incorruptibilis, & infinita.

Promissionem, quam Domino Patrono id roganti, septi-
mo ante beatam mortem die lecto ejus assidens, fecit, ut ex-
folveret, hoc debitum memorie virtutum officium exhibere
voluit Gymnasi nomine

JOHANNES PRÆTORIUS; Quedlinb.
GYMN.HALL. RECTOR.







HEROICUM
IN FUNERE
DOMINI
JOHANNIS CHRISTO-
PHORI HEROLDI,
JCII ET CONSILIARII FAMIGE-
RATISSIMI
ELOGIUM,
DECANTATUM
GYMNASIO HALLENSI.

*HALAE,
LITERIS SALFELDIANIS.*

